



2/10/11
~~GA 17~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-61.

SIGNAT. c1515CCCXIII.

8 7

Auspice DEO,
BIGAM DISSERTATIONUM PASSIONALIUM,
DE
PUGNA, vel PASSIONE
CHRISTI SPIRITUALI,
UT ET
DE
CAPTIVITATE CHRISTI
PASSIONALI,

In longè Incluta ad ALBIM,
SUB PRÆSIDIO

RECTORIS MAGNIFICI,
VIRI

SUMME REVERENDI, AMPLISSIMÆQUE
EXCELLENTIÆ

DN. JOH. DEUTSCHMANNI,

S.S. Th. D. ejusdemq; P.P. multò celeberrimi,

Alumn. Elect. Ephori gravissimi &c:

*Domini, Fautoris, Evergetæ atq; Præceptoris, vitâ comite intemeratè
devenendi,*

publicæ disquisitioni modestè submittit

JEREMIAS PILARICK,

Tepliciô - Hungarus,

Ad diem III. April. A. O. R. M. DC. LXXVII.

H. L. Q. C.

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typ.
Excud. SIMON LIBERHIRT.

h. 10. 2870
D. Michael

IN OMNIBUS PARTIBUS
UNIVERSITATIS
CHRISTI SPIRITUALI

APERTIVITATE CHRISTI
PASSIONALI

In longis inchoat ad ALBAM
SIBI PRÆSIDIO

RECTORIS MAGNIFICI

NAME REVERENDI, AMPLISSIMAEQUE

EXCELLENTIAE

JOH. DEUTSCHMANNI

et Th. D. eiusdem; P. P. multo celeberrimis

Alamo Elect. Episcopi gratissimi et

Mag. Th. D. eiusdem; P. P. multo celeberrimis

Alamo

publice dissertationi modestissime

JEREMIAS PILARICK

Thesis - Hungaria

Ad diem III. April. A. O. R. M. DC. LXXVII

M. A. C.

Dr. Nicolae

Typis JOHANNIS BORKARDI Acad. Typ.
Franci. SIMON LIBERARI.

DISSERTATIONES PASSIONALES.

DISSERTATIO IX. Ex Matth. XXVI. 36. 46.

DE PUGNA, VEL PASSIONE CHRISTI
SPIRITUALI.

1. **E**X *Gen. III. seqq.* ubi legimus, quod *Primus Adam* Deum graviter in horto læserit, gravissimum peccatum commiserit, & omnem suam, posterorumq; salutem perdidit: ita *secundus Adam* hortensem Dei læsionem hortensi sua passione reconciliavit, gravissimum horti peccatum sudore sanguineo in horto expiavit, & omnem amissam salutem in horto nobis recuperavit. *Adam* in horto morti succubuit, *Christus* mortem vicit, & mors ipsi succubuit *Luc. XXII. 44.* Cum igitur nostra salus in horto caperit, de hac passione *Christi spirituali in horto* nunc aliquid proponemus.

Gen. III. c.
Salus in
horto a-
missa &
reparata.

2. Inter alia *passionis* suæ ineffabilis indicia *Messias*, *Psal. XXII. 55.* de corde suo testatur: *Factum est cor meum, tanquam cera liquefascens, in medio ventris mei.* Variæ quidem *Interpretum* sententiæ reperiuntur, quid per *Cor h. l. Messias* intelligat. Alii *Patrum* dicunt, quod h. l. per cor suum *Christus Ecclesiam* intelligat, quæ ante suam *passionem* visa fuerit dura & firma, in *passione* autem ejus sit dilapsa, sicut *Hieronymus* hoc exponit. *Augustinus* per *Cor* intelligit *Scripturam*, quæ antea clausa fuerat, sed simul ac *Dominus* crucifixus est, *liquefacta*, i. e. aperta est, ut omnes infirmi intelligerent. Id quod etiam significatum est, cum templi velum rumperetur. *Gugo de doloribus Beata Virginis*, quam *Christus* us *cor* suum dilexit, interpretatur. Sed hæc *allegorica* sunt, & neq; *loquenti*, neq; *textui*, neq; *passioni*, propriè loquendo, conveniunt. Omnium optima igitur, quæ simplicissima sententia, quæ voce cordis ipsum *Cor Salvatoris* accipitur.

Pf. XXII.
55.
Cor Messia

3. Comparat autem *Cor* suum *liquefacta cera*, ut nunc alia taceam, *(i) ratione liquefactionis ortus*: sicut enim *cera* non sua sponte diffluit, nec ab interno principio fluxum appetit, sed *ignis* calore liquefieri dicitur: ita *cor Salvatoris* in se satis firmum & fixum, neq; sua sponte difflebat, aut ab interno principio propter pec-

Sicut cera
liquefacta.
i. ratione
liquefacti-
onis ortus

A

catum,



DISSERTATIONES PASSIONALES.

eatum, sicut fit in aliis hominibus, summum tristitiæ, doloris & angoris fluxum trahebat, sed ignis ira divina, ignis pœna divina, ignis infernalis miseriæ, intensissimo ardore liquecebat.

2. ratione
liquefacti
onis status.

4. (2) ratione liquefactionis, sicut *cera dura* primum & *solida* sibi constat, & sine fluxu firmiter substabat, post ignis calore tacta soliditatem suam amittit, miserè diffluit, & ad quasvis distractiones, passiones atq; corruptiones se submittit: ita *cera nostra mystica, Cor Salvatoris* dum primum & *solida* erat, sibi constabat, & sine timoris, doloris & angoris fluxu firmiter substabat: sicut alias inter membra corporis animalis textura *cordis* carne densissima constat, quæ liquari sine magna violentia nequit: imò cum *vita* *domicilium* sit *cor*, hoc everso vel liquefacto, vitam ipsam eici corpore necessum est: postquam igitur hæc *vita* Christi sedes iræ divinæ, pœnarum æternarum & infernalium cruciatu arde re tangebatur, soliditatem suam pristinam dimittebat, miserè instar *cera liquefacta* difflebat, & quibusvis passionibus & corruptionibus pro genere humano se submittebat: imò cum *vita* sedes *cor* sit, cum ipsa morte conflagabat *Luc. XXII. 44.*

3. ratione
liquefacti
onis fractus

5. (3) ratione liquefactionis fructus: ut *cera liquefacta* inservit artificibus ad pulcherrimarum imaginum artificiosissimam & pulcherrimam figurationem: ita cœlesti artifici hæc *cordis liquefactio* inserviebat ad *pulcherrima divina imaginis* in nobis restitutionem & consummationem: sicut *cera non nisi liquefacta* omnem suum spargit odorem, ita *cor* Christi, non nisi *liquefactum*, dulcissimum satisfactionis coram Deo, & preciosissimum salutis coram nobis spargebat odorem: sicut *cera liquefacta* candelis & faculis inservit, & clarissimum splendorem spargit: ita *cor Christi* liquefactis nobis, arefactis & prorsus mortuis, vel extinctis titionibus splendorem lucidissimum suppeditat, ut nunc luceamus coram Deo, coram sanctis Angelis & coram hominibus. De hac etiam similitudine non ineleganter *Cassiodorus*: Sicut *cera splendor* agnoscitur, cum in usum luminis adhibetur, ita quoque injuria Christo illata splendidum ipsum, ejusque doctrinam toti mundo reddiderunt. Quod autem *Cor Christi liquefactum*, instar *cera* sit, inter alia præsens

DISSERTATIONES PASSIONALES

sens Historia passionis edocet, quæ multa suppeditat hujus liquefactionis documenta: Tristis, inquit, est anima mea usq; ad mortem, imò cum morte configere necessum habet, ad Patrem caelestem preces ardentissimas tribus vicibus fundit, & in summa liquefactionem cordis per totam hanc Spiritualem Passionem ostendit, de qua Passione Salvatoris nostri Spirituali Matthæus tria potissimum puncta proponit (I) Passionis spiritualis ingressum v. 36. 37. 38. (II) Passionis spiritualis progressum v. 39. 40. 41. 42. 43. 44. (III) Passionis spiritualis egressum v. 45. 46.

6. I. *Passionis spiritualis ingressus v. 36. 37. 38. describitur, quibus ostenditur (1) Comitum remotio v. 36. Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemane, & dixit discipulis: Sedete hic, donec vadam illuc, & erem: suos enim discipulos, quos hactenus in vita, in ultima cæna, & jam etiam in passionis via, ceu comites individuos, adhibuerat, removeret, eosq; deserit, non aliter, quam sicut gravissimè contristati & consternati societatem omnem hominum fugiunt, & tanquam motu proprio solitudinem quæerunt. Notamus autem tum remotiois locum, quod prope villam Gethsemane facta sit hæc separatio, & quidem, teste Johanne, in horto Gethsemane Torcular inæ divinæ solus calcare, suosq; discipulos relinquere voluit Esa. LXIII. 3. ut oleum pacis nobis exprimeret, vel acquireret, & hostes calcando supprimeret. In horto vero, prout quidam volunt, regio facta hæc separatio, quia solus ipse rex, victor mortis & Satanae. Tum remotiois objectum, quod suos discipulos deseruerit, quo insinuat doloris & angustis magnitudo & multitudo, quia cum amicissimis sibi discipulis hic etiam manere non potuit: tum remotiois mandatum, sedete hic, nimiram, procul à meo conflictu, quia sine scandalo tantos cruciatus & sudores meos sanguineos videre non poteritis: Ego autem pro vobis eò sum iturus, ut vos sedere, h. e. pacem habere queatis Esa. LIII. 40. dicit autem, se ad orandum iturum esse, quæ oratio verè sacerdotalis fuit, intercessoria & satisfactoria, hinc Apostolus, quando Hebr. V. 7. has Christi preces describit, verbo sacrificiali προσευχην utitur.*

Passio Christi Spirituales.
 I. Ingressus pass. Spir.
 I. Comitum remotio.

A 2

7. (2) Te:



DISSERTATIONES PASSIONALES.

7.(2) *Testium assumptio v. 37. Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedaei, capit contristari & maestus esse, ubi testium nomina, Petrus, & Jacobus & Johannes, introducuntur, cum in duorum, vel trium testium ore consistat omne verum Deut. XIX. 15. Petrus secundum peculiāres quosdam indicat fidei firmitatem, Jacobus spei certitudinem, Johannes charitatis ubertatem: vel quia Christus ut Petrus, contra hostes spirituales stare, ut Jacobus, vel supplantator omnes hostes conculcare, & ut Johannes latissimum victoriae nuncium nobis reportare contendebat. Et hos tres aliās habuit sibi charissimos & conjunctissimos. Fuerunt illi, spectatores miraculorum Marc. V. 37. transfigurationis Matth. XVII. 5. & auditores illius Concilii Montani inter Christum, Moysen & Eliam de morte Christi, vel exitu Hierosolymitano Luc. IX. 31. habiti, hinc etiam facti sunt spectatores & auditores gravissimae Christi passionis in horto. Item testium officia, nam ipse Dominus assumebat eos, non ad dormiendum, quod illi facebant, sed ad testificandum sicut vulgo testes nobis eligere magnorum factorum solemus; non ad gloriationem, sed ad gratiosam praedicationem hujus angoris, testes illos elegit. Denique, testimonii materia notanda venit: capit contristari & maestus esse, ἀπονεύειν ἢ ἀδημονεῖν, Luc. ex fing an zu zittern und zu jaugen: capit ipse ἀπονεύειν non coactus, sed sua sponte capit, & suscipit animi gravissimum angorem & contristationem, ut externis signis etiam maeror internus proderetur, hinc B. Lutherus reddidit zu zittern/ sicut consternati neque membra exteriora continere possunt a sensibili commotione. Marcus utitur voce ἐκθαμβεῖται, quod est penitus pavere; vel attonitum esse, animo & corpore perhorrescere, attonito stupore percelli, sicut in subitanea consternatione fieri consuevit. Denique, ἀδημονεῖν adhibetur, quod ingentem dolorem ac mortiferam tristitiam indicat, ita, ut homo extra se quasi raptus esse videatur: vel qualis, si de hominibus sit sermo, solet esse desperabundorum hominum, qui societatem omnem humanam fugiunt, & mortiferum angorem corde sentiunt, adeoque prorsus extra societatem ὄμω soli vivere cupiunt: tales enim summos Christus dolores perpessus est, ut eos omnes*

victor.

DISSERTATIONES PASSIONALES.

vi & oriose superaret, quos universum genus humanum sustinere debebat.

8. (3) *Passionis spiritualis susceptio v. 38.* Tunc ait illis: *Tristis est anima mea usque ad mortem, manete hic & vigilate mecum:* nam Christus omnibus modis de passione gravissima suos informate voluit Apostolos, ideo, ut non tantum viderent, sed etiam audirent iudicia, dicit illis: *Tristis est anima mea usque ad mortem,* quo summos cruciatus & mortiferos suos dolores indicat: hos vero testes assumptos ibidem subsistere, & cum ipso vigilare precipit, quia tantum eos ut testes, non ut consortes, nec ut collegas, vel cooperarios adsumferat.

9. II. *Passionis spiritualis progressus v. 34. 45.* exponitur. Constat autem tribus actibus passionibus. Hinc notatur (1) *Primus actus spiritualis passionis,* qui v. 39. 40. 41. describitur, ubi ardentissima orationis erga Patrem oblatio, quoad gestus humillimos, quod abierit, in faciem se conjecerit, & humillima oratione Patrem rogaverit, quia dicitur, quod *progressus sit pusillum, prodegit in faciem & oraverit:* quoad preces ardentissimas, paternae benevolentiae, divinae potentiae, immensae misericordiae imploratrices, quia dixit: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste:* quoad conditiones subjectissimas, quia petit, ut Patris saltem in his, non autem patientis fiat voluntas: *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis:* mox subjungitur gravissima discipulorum reprehensio v. 40. *venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro, sic non potestis una hora vigilare mecum,* nim. ob somnolentiam, incuriam & ignaviam, gravissima reprehensione digni erant: sed additur demum notabilissima admonitio v. 41. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma,* quibus & vigilantiam & precum indefinentiam illis commendare voluit, & propter tentationum gravissimarum evitacionem, & propter Spiritus & carnis perpetuam diffensionem, & propter infirmae carnis conditionem.

10. (2) *Actus secundus passionis spiritualis v. 42. 43.* Dominus iteravit secessum, quia dicitur, quod *iterum secundo abierit:* nam

3. *Passionis spiritualis susceptio.*

II. *Pass. spiritualis progressus. Actus primus.*

2. *Actus secundus.*

A 3 iterum

Le.
ut
um
um
Jo.
tra
tes
bis
nos
arc.
cilis
exi
spe
tem
ano
no
tem
git
ma
3a
sce
nis
ddi
nere
co
pero
nati
tem
a se
mo
nem
unt
unt
nes
cto



DISSERTATIONES PASSIONALES.

iterum sentiebat immensum dolorum impetum, ut nullo modo cum discipulis commorari, multo minus confabulari posset: iterum orationem: *Pater mi, si non potest hic calix à me transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua*: quia non poterat alii, præter Patrem, onus immensum peccatorum, pœnarum atq; dolorum commendare: cum autem precibus onus illud maximum à se projecisset, iterum visitationem discipulorum instituit, eosq; dormientes invenit, quorum oculi velut alto sopore gravati fuerant.

3. Actus
tertius.

II. (3) *Actus tertius spiritualis passionis* v. 44. cum enim omnem trinum sit perfectum, ideo juxta numerum perfectionis tertia vice pugnam hanc adire constituit, ut perfectè dolores vinceret, & hostes universos repelleret: sed hæc omnium difficillima & laboriosissima pugna fuit, sicut ex *Luc* manifestè colligitur, quia Dominus præ doloris magnitudine & multitudine sudorem sanguineum effudit, & ab Angelo confortari necessum habuit.

III. Passio-
nis Spiritu-
alis egressus.

1. Discipu-
lorum ob-
jurgatio.

12. III. *Passionis spiritualis egressus* v. 45. 46. traditur, in quibus proponitur (1) *Discipulorum objurgatio*, quia veniens ad discipulos dormientes graviter eorum somnolentiam redarguebat, quod sub mediis Christi patientis angoribus ac precibus ardentissimis, sub mediis ipsorum tentationibus, & sub gravissimis persecutionibus somno prorsus indulgerent: *Dormite jam, & requiescite*, gr. καὶ ὕψετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθαι, quod non tantum *imperativo*, sed etiam in *indicativo*, *interrogativo* redditur: *Dormitisne jam & requiescitis*, tempore nim. tam horrendæ persecutionis, & prodicionis, *Luth* Ach) wolt ihr nu schlaffen und ruhen! q. d. jam neq; dormiendi, neq; quiescendi tempus est, sed patiendi: vos dormitis, ego verò nunc ex una passione in aliam, ex spirituali in corporalem dilabor, vel potius protrudor, & in manus proditoris ac hostium ex voluntate DEI trador.

2. Discipu-
lorum in-
formatio.

13. (2) *Discipulorum informatio*: v. 45. *Ecce appropinquat homo, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum*: aderat peccator proditor, aderant peccatores persecutores, nonnulli videl. *legislatorum* & *procerum*, aderant peccatores libidinosi, qui Dominum apprehendere volebant: & hora, quæ divinitus captivitati & passioni per sapientissimam permissionem definita fuit, nunc imminebat, nec
dixit

DISSERTATIONES PASSIONALES.

diutius passio differri debebat, sic in illud, quod toties Christus prædixerat, tempus *passionis, persecutionis & offensionis*, Apostoli incidebant.

14. (3) *Discipulorum exhortatio v. 46. Surgite, eamus, ecce appropinquat, qui me tradit: surgere* præcipit, ut oculis somnum excutere, & non tantum corporibus, sed etiam animis erectis ingruntibus malis occurrere possent: ideo præcipit *ire*, quia Christus non fugere, sed sponte suscipere, mala tanta voluit, unde fortiter, vel animo intrepido non tantum ipse hostibus in occursum ire volebat, sed etiam suos discipulos ire jubebat, ut viderent horrendam Judæ proditionem, & violentam hostium invasionem, suamq; spontaneam ad passionem, & cruciatus secessionem.

3. *Discipulorum exhortatio.*

Nota Didactica

1. Admiranda sapientia divina dicitur *οικονομία*: peccatum in *Horto* sumit initium, & remedium peccatorum suum in *horto passionis* vidit auspiciam: peccatum in *horto* contractum, idem in *horto exordium*: fuit expiatum: primus homo in *horto* quæsitit delicias, secundus Adam sensit in *horto* pro iis animæ suæ tristitias: primus Adam in *horto* ex consortio Dei & Angelorum discessit, secundus Adam in *horto* τὸ ἀδημονεῖν suscepit: primus Adam in *horto* reatum mortis incurrit, secundus Adam in *horto* reatum mortis tollere suscepit: Diabolus olim in *horto* victor evasit, sed nunc in *horto* per Christum omnem victoriam perdidit &c.

2. Varias esse Christi Salvatoris *passiones* (1) alias *animæ*, alias *corporeis*, quia dicit, *Tristis est anima mea, usq; ad mortem*, & præterea corpus *sudorem sanguineum* emisit. (2) alias *externas*, quas Apostoli notare potuerunt, alias *internas*, quæ per neminem observari potuerunt. (3) alias *spirituales*, quia dicitur ejus anima *περίλυπος* tota cincta veris & meris doloribus, hæc etiam τὸ *λυπεῖσθαι* ipsi tribuitur: alias *corporales*, quo pertinet *ἐκθαμβεῖσθαι*. quod *Marcus* adhibet: alias *infernales*, quo referendum est illud *ἀδημονεῖν*. (4) alias *coram Deo*, quo rursus pertinet illud *λυπεῖσθαι*, quia derelictus à Deo: *Dei presentia* nostri cordis, vel animæ

Variæ
Christi
passiones.

DISSERTATIONES PASSIONALES.

animæ nostræ *læticia*, sed *Dēi absentia* nostrā *tristitia*: alias *coram hostibus*, qui tantis *iacuribus* ipsum *Invadabant*, ut *prorsus* *heret attonitus*, quo respicit *τὸ ἐκθαμπεθεῖσθαι*: alias *coram hominibus*, quia nullum inter hos vidit *confortium*, nullum *consilium*, nullum *auxilium*, nullum *solatium*, unde *τὸ ἀδυνατεῖν* ipsi *tribuitur* &c.

Tria re-
quiritur O-
rationis.

3. In *Oratione* tria maxime notanda (1) *Orationis fiduciam*, quia *Christus* inquit: *Pater mi*: (2) *orationis παρηγορίαν*, quia *malum* omne *passionis* sub nomine *calicis* humiliter *exponit*: (3) *Orationis indefinientiam*, vel *frequentiam*, quia *sæpius* orare *suscipit*.

Mentis &
voluntatis
infirmitas

4. *Humanæ mentis & voluntatis maximam infirmitatem* cernimus in *Apostolis*: nam qui maximè de sua *confidentia*, *assistentia* & *constantia* *gloriabantur*, nunc ne quidem ad horam cum *Christo* *vigilare* possunt.

Note Elenctica.

Ariani.

1. *Christum & anima rationali, & corpore humano præditum* fuisse, quia manifestum hic de *anima* sua profert *testimonium* v. 38. quod notandum *adversus Arianos*, qui secundum *Epiphanium*, *carnem* nostri *Salvatoris παντὶ ἀψυχοῦ* finxerunt: neq; tantum *vegetiva* præditus fuit, prout *Apollinaris* statuit, sed etiam *sentiens*, quod ex *affectibus* colligitur, nam hic disertis verbis de *tristitia dolorumq; sensu* *testimonia* leguntur: & *rationali*, quia præter alia *documenta* de *tristitia* sua *clare locutus est*.

Apollina-
rii.

2. *Christus solus* oravit, *solus* ad *calicis* *bibitionem* properavit, *solus* *passiones* omnes *toleravit*, nec fuit *vir*, seu *famina* cum ipso, quia nulla *Maria* fit *mentio*, & omnes *discipuli* dormierunt, ipsumq; *solum* reliquerunt, quod contra *Papistas* observandum, qui ad *minimum* *Virginem Mariam* *confortio* *satis factionis* *immiscere* laborant.

Calvinia-
ni.

3. *Voluntas Dei* est *summa causa passionum* v. 39. respectu *Christi*, non respectu *hostium*, non *ratione modi*, sed *ratione rei*: ad *processum sceleratum* & *facinorosos* *homines* *judicialiter*, non *casualiter* *referenda*, quod contra *Calvinianos* *advertendum*.

Note

DISSERTATIONES PASSIONALES.

Nota Parænetica.

1. Ad tribulationes crucis prompti simus & parati, sicut Christus promptus & paratus pro nobis ad omnis generis passiones accessit.

Promptus
do Crucis.

2. In cruce (1) tolerandum, ut simus patientes (2) orandum, ut fide simus & patientia constantes (3) in oratione perseverandum, ut de voluntate Dei certi reddamur, & celesti virtute semper induamur: hæc omnia Christi docet exemplum: vel in cruce (1) vigilandum, in vera penitentia, ut peccata nostra inquiramus, malam vitam corrigamus, omni peccato, vel Diaboli consilio Christiana vigilantia resistamus (2) orandum in Christiana fiducia (3) tolerandum in Christiana patientia.

Remedia
crucis.

3. Omnia tam bona quam mala divinæ voluntati committenda sunt, ut ex Christi precibus apparet.

Omnia
sub Dei
voluntate.

4. Vita nostra passionum militia, quia Christus multiplicis generis certamina vel passiones suscepit.

Vita militie.

DISSERTATIO X. Ex Matth. XXVI. v. 47-50.

DE PASSIONALIS CHRISTI CAPTIVITATE.

1. EX Judic. XVI. 16. 21. De Simione, typo Christi, quod ipsum Philistæi, hostium infensissimi per amatissimam & conjunctissimam mulierem Delilam, mediantibus osculis, blandisq; sermonibus ceperint: Idem contigit caelesti Simioni, Christo Jesu, quem Philistæorum æquales per dilectissimum discipulum, mediante quodam osculo, blandisq; salutatione, capere susceperunt, sicut ordine Matthæus hæc iniquitatis arcana recenset, hinc modo de Passionali Christi Captivitate paucis agemus.

Judic.
XVI. 16.

2. Ex Psalm. XXII. 17. ubi Messias inter alia passionis acerbissimæ documenta, Captivitationis etiam suæ mentionem facit, & verbis emphaticis conqueritur: Consilium malignantium obsedit me. Quibus verbis Spiritus S. describit Captivitatis Messie medium, quod est Consilium, vel concilium malignantium, Hebr. עֵת מְרִיעֵי catus, vel Concilium integrum malignantium, nim. Sacerdotum, Legis peritorum

Ps. XXII.
17.

Captivitas
Messie
medium.

DISSERTATIONES PASSIONALES.

Et Seniorum, quos omnes *malignantes* vocat, propter inauditam ipsorum malitiam, quae tanquam incarnati Diaboli contra Christum furebant; respicit etiam ad *principales duces*, ipsos *Diabolos*, veros & primos malignantes, qui legionibus multis citra dubium adfuerunt, & non tantum antea Christo *passiones* innumeras in horto crudeliter imposuerunt, sed etiam *Judas* & *scios* ad ipsum captivandum adduxerunt: immediatè verò *catus malignantium* etiam fuerunt *Milites, lictores*, & alii *ministri* procerum ad Christi captivitatem egressi. Nam **ⲓⲛⲩⲩ** propriè significat *catus, edicto publico convocatum*, & sic digito quasi notare voluit manipulum latronum, ad Christi captivitatem adventantem, quod non proprio ausu, vel temerario nisu confluxerit, sed *edicto publico Sacerdotum & Seniorum* convenerit, & ad Christum capiendum exierit, qui Christum immediatè circumdedit, & captivum abduxit.

Obiectum. 3.(2) *Captivitatis Messiae Obiectum*, me, dicit *Messias*, concilium Malignantium obsedit, videl. *Messiam à Deo desertum v. 1. à salute longe remotum v. 2. me vermem, & non hominem, opprobrium hominis & abjectionem plebis v. 7. omnium ludibriorum, convitiarum & vermentorum candidatum*, à discipulo proprio hostibus proditum, nunc gravissimis angoribus & doloribus animæ prorsus excruciatum, imò cruciatibus infernalibus penitus exhaustum, turba *maiorum* cinxit atq; circumdedit, ut nulla prorsus mihi detur evasio.

Modum. 4.(3) *Captivitatis Messiae modum*, obsedit, vel cinxit, aut circumdedit, quia totus hortus repletus fuit hostibus, Hebr. **ⲓⲛⲩⲩ** *per modum circuli, me circumdederunt*, non aliter sicut civitas in obsidione cingitur undiquaque, & circumvallatur, quæ maxima

De Passionali Christi Captivitate. dicitur captivitatis exaggeratio: plenius autem *Historiam Captivitatis Christi Evangelistæ* describitur, unde juxta *Mattheum* de *Passionali Christi captivitate* nunc agemus, quia proponitur (I) *Captivitatis passionalis Causa* v. 47. (II) *Captivitatis passionalis nota* v. 48. 49. (III) *Captivitatis passionalis forma* v. 50.

Causa. 5. Quod attinet I. *Captivitatis passionalis causam*, ea v. 47. *introducitur: Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, & cetera*

DISSERTATIONES PASSIONALES

Et cum eo turba multa, cum gladiis & fustibus, missi à Principibus Sacerdotum & Senioribus populi: quibus verbis indicatur (1) *Causa instrumentalis*, qua summi Sacerdotes usi fuerunt potissimum ad Christum captivum ducendum, & dicitur *Judas unus de duodecim*, n. m. Apostolis: instrumentum hoc proditionis tempestive Diabolus adducit, ut satis superque nostrum Salvatorem affligeret, & de passione in passionem mitteret. Nam cum modo Dominus ex spiritali passione paulisper se collegisset atque liberasset, statim adiunt, ductore *Juda*, lictores *Pontificum*, ut Christum caperent. Viderat Satanus Christum agonizantem, & cum morte vehementer ad sudores usque sanguineos colluctantem, audiverat Christi verba, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, ipse lapidem omnem moverat, ut in immensum dolores illos auferret: interea nec inter hostes Christi quieverat, sed maxime fuerat occupatus, ut hoc commodissimo tempore turbam hostium adduceret, *Judam* proditorem, antesignanum malignae cohortis, in faciem Domino produceret, & sic afflictiones gravissimas novis afflictionibus cumularet: cum igitur adhuc Discipulis loqueretur, adest *Judas proditionis, traditionis & captivitatis instrumentum*, quem ita describit *Evangelista*, quod unus ex duodecim fuerit. O infelicem discipulum, hostium daduchum, & ad prodendum Dominum paratum!

6. (2) *Causa Ministerialis*, siquidem turba multa cum gladiis & fustibus cum *Juda* fuit, cujus ministerio *Proceres Judaeorum* uti voluerunt, Sciebant enim Sacerdotes, & populi Seniores, in aestimio summo Christum apud omnes versari, judicantur igitur non paucos, sed plurimos emittendos esse, *Johannes* *αἰεγυ* appellat, quod integram militum cohortem adfuisse dicit, praeter ministros *Pontificum & Phariseorum*, item ut *Marcus* habet, *Scribarum & Populi Seniorum*, *αἰεγυ* siquidem proprie significat ejusmodi cohortem vel legionem, quae circa hostem lineas flexuosas facere, eumque totum ab omnibus partibus per modum spiras cingere potest, ita ut nusquam elabi possit. Venerunt autem illi cum gladiis & hastis, ut *Johannes* refert, cum *lateris, facibus & armis: laternas* adhibuisse videtur.

*Instru-
mentalis
Judas.*

*Ministeri-
alis Tur-
ba.*

αἰεγυ.



DISSERTATIONES PASSIONALES.

dentur, ut ipsi etiam loca quævis transire, Christum non obser-
vantibus aliis ubiuis quærere possent: *faces*, ut invento Christo
tales accendere, omnia loca passim iisdem illuminare possent,
ne manibus ipsorum effugere valeret; *armati* verò sunt egressi,
ut adversus omnem defensionem, adversus omnem populi tu-
multum essent parati, ad Christum captivandum & abducen-
dum. Cum autem & *cohortis* & *Ministrorum* fiat mentio, ideo
Matthæus dicit, eos *gladiis* & *fustibus* armatos fuisse: *milites* enim
suis *gladiis* utebantur; *ministri* verò quælibet armorum genera,
sicut in furore fieri consuevit, arripiebant, & Christum ex quovis
loco fustibus abducere studebant.

incipi-
t, summi
acerdo-
is &c.

7. (3) *Causa principalis*, sunt autores hujus factionis, quo-
rum autoritate, vel mandato manipulus hic latronum egressus
est: *Matthæus* eos nominat *Summos sacerdotes* & *Populi Seniores*,
h. e. *Primates Ecclesiastici* & *Politici* conjurarunt in hanc Christi
captivitatem, passionem & mortem: & nomine populi *Seniores*
causam agebant, ut ita compareat, & omnes tres status hierachi-
cos contra Christum surrexisse, totam quæ Rempub. Judæorum
contra Regem suum rebellem fuisse. Conf. *Psal. II. seq.* *Johannes*
dicit à *Phariseis* etiam, præter Pontifices, hos ablegatos fuisse,
quia *Pharisei* tum rerum summam tenebant, & sæpius à Christo
reprehensi fuerant, unde vindictæ cupidissimi, nihil nisi perse-
cutionem, crucifixionem & mortem, contra ipsum pectore fo-
vebant: & volebant *Marcus* etiam *Scribarum* facit mentionem,
eum etiam hiper omnem *Evangelistarum* historiam Christi hostes
fuisse legantur, qui *legis periti* fuerunt vel *politici*, proinde reliquis
se se confociarunt, & in Christi mortem consilia contulerunt.

1. Capti-
vitatæ
passiona-
lis nota-
Proditoris
Consilium

8. II *Captivitatis passionalis nota* sequentibus adducitur,
in quibus *signa prodicionis* exhibentur, quorum *tria* potissimum
producuntur (1) *Proditoris consilium* v. 48. *Qui autem tradidit eum,*
dedit illis signum dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenere
eum. Indignum hic Spiritus Sanctus Judam æstimat, qui nomi-
ne proprio designaretur, quia nomina propria sunt confederatio-
nis cum Deo, non rebellionis contra Deum, vel apostasias à Deo

Symbo-

DISSERTATIONES PASSIONALES

Symbola, si quidem cum ⁱⁿiciationis Sacramento *nomina propria* conferuntur: sed hic *Judas* à fœdere cum *Messia* deficiebat, *iplumq;* *Messiam* in hostium manus prodebat, ideo *proditor* potius, quam *nomine proprio* vocandus erat. Hic autem *Proditor* nequissimis suis comitibus signum aliquod dederat, ne quicquam in se desiderari faceret, sed omnem promittitudinem ad eum tradendum *Pontificibus, militibus atq; licitoribus* præstaret. *Signum* autem hoc fuit *Osculum*: quem, inquit, *osculatus fuero, is est, hunc apprehendite.* *Osculum* signum amoris, sed hic fit *symbolum proditionis*. Signum est *favoris*, hic fit *principium furoris*: signum est *honoris*, hic fit *medium ignominie vel contemptus*, signum est *societatis & conservacionis familiaris*, hic fit *symbolum separationis & hostilitatis*: signum est *obedientie*, hic fit *argumentum contumaciae & perfidiae*. O sceleratum proditorem! Nihil tam sanctum, tam inviolatum, tam amabile, quod auri sacra fames non efficiat, violatum ac detestabile. Sed non sufficit *signum* dedisse, non sufficit *osculum* obtulisse, nequam etiam *consilium*, & quasi *mandatum apprehensionis* inculcat: *Hanc apprehendite*: sic enim omnem à se remove voluit suspicionem doli, quia Christum etiam apprehendere iussit.

Osculum

9. (2) *Proditoris artificium v. 49. Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave Rabbi, & osculatus est eum:* in his *cerminis artificium proditorum*, quod *Judas* adhibere voluit: nam hic nequam Christum tradidit *accessu*, quia *confestim* ad Jesum *accessit*, ut Dominum *accessu* suo notaret, furiosæ cohorti manifestaret, & ipsum capiendum manibus eorum exponeret. At non sufficit *accessus*, addit *affatum*, quia maledicta lingua Christum alloquitur inquit: *Ave Rabbi*. Scelus abutitur *salutatione*, & abjecta omni *vercundia*, Dominum alloquitur, & quidem *hypocritica salutatione*, honorifica *compellatione*, dum eum *Rabbi* vocat. Ita *gnaviter impudentem* eum esse oportet, qui primum pudori *nuncium* misit. Deniq; *proditorium signum* adjicit, nim. *osculum*, dum ex *compacto* Christum *osculatur*.

Proditoris artificium

10. (3) *Proditoris iudicium v. 50. Dixit enim illi Jesus, Amice, ad quid venisti? Lucas* addit *Juda, filium hominis osculo prodie*

Proditoris iudicium

DISSERTATIONES PASSIONALES.

Judas amicus Christi vocatur. proditor h. e. sub amicitia specie fallere & tradere suscipis; graviter igitur Dominus malitiam Discipuli, audaciam creaturæ, & fraude proditoris his verbis reprehendit, quæ citra dubium instar fulminis cor Judæ percusserunt. *Amicum* vocat eum, quia sub *amicus* nomine latebat, & sub *amicitia* symbolo prodebat: Christus vero ex *amico* simulato in verum & fidelem per veram penitentiam eum convertere volebat, & certè Christus verè *Judam* ut *amicum* diligebat, quod tot admonitiones attestantur, cum patris, quia pro *Juda* quoq; sanguinem suum fundere suscepit.

III. Captivitas passionalis forma. II. *III. Captivitas passionalis forma v. 50. notatur: Tunc accesserunt, & manus injecerunt in Jesum, & tenuerunt eum.* Quibus *Matthæus* formam captivationis per tres actus describit, *Johannes* prolixius historiam recenset, quod Christus hostes interrogaverit, quem quærant, & ulco verbo in terram dejecerit: sed hic potissimum *Matthæi* descriptionem attendimus, qui describit captivam Christi (1) per *hostium* appropinquationem, *Tunc accesserunt*; nam jam cognoverant Jesum, ideo propius accedere volebant, sed optimum accessus condimentum *Johannes* introducit, quod uno verbo Christi, instar fulmine tactorum & percussorum, in terram sint conjecti, ex quo miraculo cuncti majestatem Christi cognoscere potuissent. Sic in media *Christus* exinanitione signa majestatis edidit.

in hostilium manu injectione. 12. (2) per *hostilium* manuum injectionem, quia *manus* injecerunt in *Jesum*; non enim fugere, sed nunc ad passionem suam accedere, non illis resistere, sed in manus ipsorum sponte concedere, non passionem diutius differre, sed per eam omnia consummare studebat.

in violenta hostium comprehensione. 13. (3) per *violentam* hostium comprehensionem, quia *tenuerunt eum*, instar seductoris, rebellantis, vel alius hominis scelerati: sic ad impletum fuit *Judæ* consilium, qui præceperat v. 48. *καταλάβειν αὐτόν*: nam hic dicitur, *καταλάβουσιν αὐτόν*: *καταλαβεῖν* autem non nude capere, vel simpliciter tenere significat, sed vim atq; violentiam designat, adeoq; violentis manibus eum apprehenderunt, violentis catenis & vinculis eum ligarunt *Job. XII. 12.*, & sic violentè abducere voluerunt. Nota

DISSERTATIONES PASSIONALES

Nota Didactica.

1. Dum adhuc *Christus loquitur*, catus malignantium & persecutorum apparet. Nam quando verbum Christi prædicatur, Satanas varias persecutiones excitare conatur.

2. *Christus oblati* (1) *judicio divino*, dum Patris voluntati justissimæ se subjecit, ut ex præced. constat. (2) *judicio Ecclesiastico*, ad quod nunc ducitur captivus. (3) *Judicio Politico* *Matt. XXVII. 2.*

3. Horribilis est *Apostasia Juda*, qui defecit (1) à *Christo*, cuius proditor est factus. (2) *ab Apostolico collegio*, dum ut ejus hostis apparet. (3) *à verbo*, dum illud malitiose contemnit, & in seductiones *Judaicæ Synagogæ* consentit.

4. In *Juda* cernimus adimpletum, quod *B. Lutherus* dixit: *Mali sunt Tyranni, Heretici pejores, falsi fratres pessimi.* Quod contra *Syncretistas* & *Neutralistas* observandum.

5. *Malæ mentis timor Maximus*: sic *Judas* non nisi cum turba multa, cum gladiis & fustibus, imò cum militum cohorte venit, *Job. XIX. 3.* Cohors autem, secundum *August.* non *Judaorum*, sed *militum* fuit: à *Præside* imò, intelligitur accepta, tanquam ad tenendum reum servato ordine legitime potestatis, ut nullus tenentibus obfisteret, *tract. 1. 12.* In *Joh.*

6. *Judas osculo prodens Dominum* typus est (1) *Hypocritarum* in *Ecclesia* (2) *Hereticorum* extra *Ecclesiam*. (3) *Syncretistarum*, qui medii volunt esse inter utrosque. *Origen. tract. 35. in Matt.* certas quasdam rationes colligit, scribens: Si causam quærat aliquis, cur osculo *Judas* tradidit *Jesum*, hanc dabimus rationem. Quoniam secundum quosdam quidem voluit reverentiam quandam ad Magistrum servare, non audens manifeste in eum irruere, & impudenter profiteri, se proditoré Magistri. Secundum alios autem, hoc ideò fecit *Judas*, timens ne forte, si manifestum adversarium se præbuisset & proditorem Magistri, ipse ei fieret causa evasione, cum posset, quantum ad ipsius opinationi-

DISSERTATIONES PASSIONALES.

„nationem ex quibusdam secretioribus disciplinis effugere, &
„facere se in parvum. Ut ergo nihil tale suspicans Iesq, secundum
„quod Judas opinabatur, sed putans eum amicum, quomodo nes-
„scit, sic insperate comprehendatur, ideo hoc dedit signum sci-
„ens jam, quoniam si nolisset comprehendi, nunquam com-
„prehensus fuisset, sed volens præbuit se manibus peccatorum.
Ego autem puto, quod etiam omnes proditores veritatis amare
„veritatem fingentes, & osculi signo utentes, quasi quadam ia-
„udicatione charitatis, prodant Verbum DEI.

Note Parenica.

1. *Osculum* fit signum dilectionis, non proditionis, Chri-
stus Judam vocat *amicum*, sed Judas ipsum osculo prodit, velut
inimicum.
2. Hominum mundanorum mores hic in Juda discamus,
qui ore dicunt, *Ave*, sed corde, *Cave*.
3. *Christi captivitatem* fide tanquam veram nostram li-
bertatem, recipiamus, quia *Christi captivitas, nostra libertas*. Ca-
ptivitas est supplicium enormium delictorum, homicidii, adulte-
rii, furci, & similium scelerum: Non pro se, sed pro nobis ca-
ptus est, ut scelus homicidii, quo primus homo totum genus hu-
manum trucidaverat, adulterii, quo cum Satana, relicto DEI
contubernio, consueverat, & furci, quo gloriam divinitatis au-
ferre conatus erat, expiaret.

Note Epanorthioica

1. Horrendum esse flagitium proditionis, quo Diabolus etiam ad
trucidationem Christi Salvatoris usus est: illud igitur omnibus
Christianis fugiendum, ne Juda proditoris societatem au-
geant.
2. *Dilectionis Symbolis* non est abutendum, sicut Judas amico
accessu, amico amplexu, amico affatu, Dominum & Præceptorem
prodidit.
3. *Amice ad quid venisti*, gravis est Judæ reprehensio tum, pro-
pter simulatam amicitiam, tum propter horrendam perfidiam,
tum propter detestandam impudentiam ac malitiam.

Wassig

DISSERTATIONES PASSIONALES.

2. Licet autem Christus in cruce clamaverit : *Deus meus, Christus Deus meus, quare me dereliquisti*: tamen inde non potest inferri, *verus Deus*, quod non fuerit verus DEUS, quod Judæi cum Socinianis, & aliis faciunt. Nam *dist.* inter *οικονομίαν* & *εἰσίαν*: hæc verba Christi pertinent ad *οικονομίαν* passionis, non ad *εἰσίαν* absolutæ conditionis. Deinde respiciunt *Patrem*, non *λόγον*: nam *Pater*, non *λόγος* ipsum deseruit, quia Deus proprio sanguine redemit Ecclesiam *Act. XX. 28.* autor vitæ interfectus *Act. III. 14.*

3. Christus non tantum quoad *corpus*, sed etiam quoad *animam*, *Christus* & quidem non tantum quoad *inferiorem*, sed etiam quoad *superiorem* partē, passus est, quod testatur Christi notabilis *quere-* *la*, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti*. Notandum hoc *animam* contra *Papistas*, qui in eo nobis contradicunt, *Angio. Rhemens.* *passus.* in *Annot. Heb. 5. v. 7.* blasphemiam esse, scribunt, dicere, quod Christus passus fuerit in *anima*. Sic & Christus ipse *contra-* *rium* testatur *Matth. XXVI 30.* *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

4. Christus etiam *dolores infernales* sensit, quia Dei *deser-* *tio* est *infernaliū panarum illatio*, Sed id *Papista* negant *Bellarmin.* *dolores* *l. 4. de anima Christi, novam atq; inauditam impietatem* vocat, *sta-* *tuere, quod Christus in passione sua dolores infernales sustinuerit.* *sensit.* Sed rectius alii nobiscum id statuunt. *Bartholomæus Medina* in *Thom. part. 3. q. 46. art. 6.* Est genus panarum, quod patiuntur *dam-* *nati in inferno, quod omni solatio carent.* *Quiddam huic simile* *Redemptor noster sustinere dignatus est, qui omne à se solatium &* *consolationis remedium in passione abdicavit.* Et ipse *Thom. p. 3. q. 52.* *art. 3.* dicit: *Christum voluisse esse in inferno, ut nostras penas in se* *reciperet.*

5. *Baronius* statuit, *vinum myrrhatum* commiserationis *cau-* *sa* *Christo datum fuisse, sed eum refutat Adam Contzen* in *c. 27.* *Vinum* *Matth. Baronius, scribit, existimat, commiserationis affectu allatum* *myrrha-* *tum non* *(nim. vinum, myrrhatum)* *Forse id aliquando factum, non tamen* *commisera-* *ad Christum pertinuisse videtur. Non enim Christus peccatum su-* *tionis cau-* *um, quod nullum habebat, confessus est, quod à Thalmudicis quidem* *sa datum.* *A* *cum*

DISSERTATIONES PASSIONALES

cum portione myrrata conjungitur. Deinde nulla exhibitæ est miseratio, in dolore & precibus irvidebatur

DISSERTATIO XXVI. PASSIONALIS

EX MATTH. XXVII. v. 51. 56.

DE MIRACULOSIS CONSEQUENTI-
BLIS PASSIONIS.

II. Reg.

XIII. 20. 21.

1. II. Reg. XIII. 20. 22. mirabilis de mortuo Elisa Historia recensetur his verbis: *Mortuus est Eliseus, & sepelierunt eum. Exercitus autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt exercitum, & projecerunt cadaver in sepulchro Elisai: Quod cum erigisset ossa Elisai, revixit homo, & stetit super pedes suos: Hoc Ecclesiasticus in Eliseo commendat c. XLIX. 14. Cum Eliseus jam mortuus esset, corpus ejus propheta- bat: vivens Eliseus miracula faciebat, & mortuus miraculum edidit. In quibus & Elisai mortem, & exercitum Moab venientem, & mortuum resurgentem, notare debemus: Sed in Christo Jesu, Eliseo caelesti, multo magis hæc admiranda veniunt. Vidimus ejus mortem, credimus exercitum Diabolorum venientem & incurrentem, atque circa mortuum Jesum varios impetus & insultus facientem, sed ipse mortuus Jesus & miracula fecit, & sua morte sepulchra dormientium recludit, eosque vivos è sepulchris dimisit, sicut Miraculosa passionis & mortis Consequentia testantur, quæ juxta Matthæum modo considerare debemus.*

Ps. CXII.

17. Mortis

Christi de-

scriptio!

quoad Ma-

teriale.

2. Psal. CXII. 17. *Mesias inquit: Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini: quibus mirabiliter Mors Messie describitur (I) quoad materiale. Non moriar: nam Messie mors verius non-mors est: quod æquidem mirabiliter nostris in auribus sonat, & multo mirabilius rationi nostræ videtur: nam mors, vere mors est, non mors esse non debet, neque potest. Sed admiratione non est opus, si quis materiale subiectum, nim. ipsum Mesiam considerat, qui dicit Ego non moriar, qui sum immortalis*

DISSERTATIONES PASSIONALES

mortalis Deus, qui sum æternus Dei Filius, quoad divinitatem, adeoque mortis minime capax: qui sum *sanctus sanctorum Dan. IX. 24. sanctum, quod ex Maria natum Luc. I. 35. Pontifex sanctus, impollutus, innocens, à peccatoribus segregatus Heb. VII. 26.* qui mortis omnis expers erat: nam *mors peccati pœna Gen. II. 17.* ubi proinde nullum peccatum, ibi nullum mortis indicium, vel iudicium, aut supplicium: recte proinde dicit, non moriar: nã quod mortuus est ipse, nobis mortuus est, quia mortuus propter peccata nostra *Rom. IV. 25.* hæc igitur mors suo modo *Non-mors* appellatur.

3. (2) *Quoad formale, sed vivam:* nam *Christi mors Christi vita*, quia in media morte mansit ipse vivificus, & corpus ejus vere fuit vivificum: & certe mors Christi nihil aliud fuit, quam abitus ad Patrem *Job. XVI. 7.* quam ingressus ad gloriam *Luc. XXIV. 26.* & aditus ad æternam vitam, quia dicitur, & vita & resurrectio *Job. XI. 25.* *Mors Christi nostra vita*, quia per ejus mortem nos omnes vitam consequimur: est enim *mors ejus vita nostra spiritualis & cœlestis origo*, cum in ejus morte nostra vita sit fundata: est *vita scaturigo*, quia *mors ejus vita fons* est & *scaturigo*, unde nostris animabus perpetuo vitæ liquor emanat, ut & nos vivere, vitæque viam invenire non tantum, sed etiam ambulare queamus, ut ad veritatem ipsam, vel æternam & veram vitam perveniamus: quæ de causa dicitur *Jobann. XIV. 6. & via, & veritas, & vita: est Christi mors inde vita non saltem, sed etiam vivifica vita*, quæ nos in peccatis mortuos vivificat, & omnem succum vitalem suppeditat, ut nunc in Domino vivere queamus.

Quoad formale.

4. (3) *quoad proprium essenziale, & narrabo opera Domini:* sicut enim ex vera vita vitæ propria, vitæ opera promanant, sic ex hac vita Mortis Christi, vel ex hac vivente morte nihil, nisi *mera vita propria, vel opera vitæ* suam trahunt originem: hæc sunt *opera Domini, mysteria Domini, miracula Domini:* quæ Christus mortuus non tã ore, quam opere narrat, hoc est ipso facto præstat, quæ *narratio realis* est: Nam sicut Christus Salvator in vita sua miracula multiplicis generis edidit, ita miraculosa virtus etiam in morte non desit, sed ipsi mortuo, & in patibulo crucis affixo

Proprium essenziale.



DISSERTATIONES PASSIONALES.

Temper adfuit. Jam autem divina miracula edere non est *mortui*; sed *vivi*, non *deficientis*, sed *potentis*, non *Φιλανθρώπου*, sed *Θεανθρώπου*. Talia miracula plurima in Christi morte contigerunt, quorum nonnulla *Matthæus* etiam annotavit, de quibus modo *passionalem Meditationem* instituemus, & *Miraculosa passionis*, vel etiam *mortis consequentia* proponemus, quia *triplicis generis Miraculosa consequentia* producit (I) *Miraculosa consequentia in creaturis inanimatis*. (II) *Miraculosa consequentia in creaturis mortuis* (III) *Miraculosa consequentia in creaturis vivis*.

I. Consequentia
miraculosa
in creaturis
inanimatis.
veli templi
scissio.

5. Quod (I) *Consequentia miraculosa concernit in creaturis inanimatis*, ea primum introducuntur, cum propius illas creaturas *passio & mors Christi* respicerent, & tamen in illis Deus peculiaria miracula producere voluit, ut eo rectius ab hominibus notari possent. Talia sunt (I) *Veli templi scissio* v. 31. *Et ecce dicitur, velum templi scissum est in duas partes à summo usq; deorsum*: cum autem duo fuerint in templo *vela*, nimirum aliud *exterius*, quod atrium à sanctuario separabat, alterum *interius*, quod sanctum sanctorum à sanctuario dividebat *Exod. XXVI. 31. seqq.* ideo non una Doctorum est sententia, quodnam velum hic intelligendum veniat. *Hieron. in c. 27. Matth. Origenes in b. l. & alii de velo tantum exteriori exponunt*: *Cyrillus* autem l. 12. in *Job. c. 37.* cum aliis statuit, *velum interius* hic accipiendum esse, idq; sicut videtur, rectius: quia Sanctus sanctorum hætenus tempore *V. T.* prorsus obvelatum, & non nisi summo Sacerdoti pervium, per Christum Jesum apertum, qui semel ingressus sanctum sanctorum non per hiccorum vel vitulorum, sed per proprium sanguinem æterna redemptione inventa *Heb. IX. 12.* & certe, dum velum illud tollitur, omnis distinctio gentilium & Judæorum tollitur, & in unum Ecclesiæ Catholicæ corpus utriusque populum conjungendum esse subinnuitur: cum in Christo nec Judæus, nec græcus *Gal. III. 28.* cælum ipsum quoq; clausum antea referitur sicut *Hieron.* inquit: *Velum templi scinditur, id est cælum aperitur*, & alia simul mysteria indicantur, cum primis a. plenaria revelatio, & catholica publicatio *mysteriorum regni*

DISSERTATIONES PASSIONALES

regni caelorum, quæ paulo post universalem Apostolorum prædicationem per omnem terrarum orbem institui debebat.

(2) *Terra Commotio*, quia dicitur, *Et terra mota est*, quia maximum quasi terrorem & concussionem percipiebat ob crudelissimam Filii Dei mortem: hic a. terræ motus non tantum respectu montis *Golgotha*, vel etiam urbis *Hierosolymæ*, aut solius *Judææ*, sed etiam respectu vicinarum regionum intelligendus est, quia referunt *Historici*, quod in aliis etiam *Asiæ* provinciis tunc temporis talis terræ commotio contigerit. Et certe ob summam iræ divinæ gravitatem vix terra cum incolis suis consistere potuisset, nisi mors ipsa Salvatoris etiam intervenisset. Nam terra cum incolis Christo propter trucidationem obfuit, sed Christus morte sua terræ simul & incolis profuit.

Terra commotio.

7. (3) *Petrarum divisio*, quia petra scissæ sunt. *Lucianus* martyr apud *Euseb. l. 9. Hist. Eccles. cap. 6.* testatur, *rupem Golgothaam præcipue hanc scissuram expertam esse.* *Hieronymus* scribit, in *Evangelio Nazaraorum* legi, quod *superliminare templi infinitæ magnitudinis in hac scissione petrarum fuerit fradium & divisum.* *Alii* scribunt, *rupem montis Calvaria*, in qua fixæ fuerunt tres crucæ, eo modo scissam esse, ut inter Christi & impii latronis crucem divisio interjecta sit, latronem, à Domino divisum esse, significans. Et certe cum petra Christus Jesus scissa sit per mortem per animæ & corporis separationem, Deus etiam petrarum aliarum disruptionem concedere voluit, ut his etiam miraculosis scissionibus petrosa judæorum & aliorum corda concuteret: licet in sacris literis præcise definitum non sit, quor & quanam petra scissuram hanc susceperint, ex plurali numero tamen apparet, quod plures eorum fuerint.

Petrarum divisio.

8. II. *Consequentia miraculosa in creaturis mortuis*, quæ præcedentibus subjiciuntur v. 25. 53. Talia fuerunt (1) *Sepulchrorum apertura*, quia disertis verbis dicitur, quod *sepulchra sint aperta*: nam pleraque sepulchra magnorum virorum in petris excisa fuerunt, sicut in sequentibus etiam dicitur de sepulchro *Josephi Arimathæi*, in quod Christi Salvatoris corpus fuit repositum: cum igitur talis ruptura petrarum fieret, sepulchra pariter aperta fuerunt: & licet à tali ruptura nemo facile collectionem ad apertio-

II. In creaturis mortuis. Sepulchrorum apertura.

DISSERTATIONES PASSIONALES.

nem sepulchrorum instituere potuisset, tamen hic ipse Spiritus Sanctus indicat, per Dei singularem providentiam contigisse, ut in hac petrarum dissectione sepulchrorum quoq; facta sit apertio: hoc a. non intelligendum est de omnibus in universum sepulchris Hierosolymitanis, sed potius de sepulchris sanctorum, quemadmodum circumstantiæ textus edocent: nam & Christus ut sanctus voluit sepeliri, sanctorum sepulchra tanquam dormitoria consecrare, & hac reseratione simul indicare, quod ipse clavem sepulchrorum & mortis possideat, & quod morte sua nunc mortis vincula ruperit, & sepulchra cum primis sanctorum aperuerit,

Sanctorum
resurrectio

9. (2) *Sanctorum resurrectio*, quia multa corpora sanctorum, qui dormierunt, resurrexerunt: dicitur, quod multa corpora, non omnia sanctorum resurrexerint; quorum autem sanctorum corpora resurrexerint, illud per Evangelistam non indicatur: non nulli sunt in hac sententia, quod in eorum numero fuerint, *Adam & Eva, Noa, Abraham, Isaac, Jacob* &c. qui propterea tanto desiderio desiderarunt non alibi, quam in terra palæstina sepeliri, cum spiritus eis quasi revelaverit Messiae sepulchram, & solemnem sanctorum cum ipso resurrectionem, vel ad minimum eos impulerit, ut in hac terra potissimum sepulchrum expeterent, ubi sanctus sanctorum aliquando sepeliendus & resuscitandus erat: neq; tamen existimandum, quod statim in morte Christi resurrexerint hi sancti; nam *Matthæus v. 53.* discrete testatur, quod post ejus resurrectionem de monumentis egressi sint, & alias notum, quod Christus fuerit primogenitus ex mortuis *Apol. 1. 5.* & quod autor sit resurrectionis sanctorum; non igitur conveniebat, ut illi prius, quam Christus resurgerent. Unde *Hieronymus* scribit: *Cum monumenta aperta sint, non tamen antea resurrexerunt, quam Dominus resurgere, ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis.*

Sanctorum
apparitio

10. Hinc (3) sequitur *sanctorum apparitio* *v. 53.* quia exentes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in Sanctam civitatem, & apparuerunt multis: quibus & egressus miraculosus de monumentis, & ingressus graciosus in civitatem sanctam, & apparitionis actus gloriosus indicatur: nam & resurrectionis Christi co-

mites

DISSERTATIONES PASSIONALES.

mites, & ejus testes ac indices esse debebant, unde non omnibus, sed istis apparuerunt, quibus tanta divinitus concedebatur gratia: sicut enim Christus Dominus post resurrectionem suam omnibus non est visus, sed potius discipulis & mulieribus piis apparuit: sic etiam Christi ministri, sancti, qui cum ipso resurrexerunt, non omnibus, sed multis, iisque fidelibus apparuerunt.

II. III. *Miraculosa consequentia in creaturis vivis v. 54. 55. 56.* III. *In creaturis vivis v. 54. 55. 56.*
Talia miracula fuerunt (1) *Custodum conversio v. 54.* quia *Centurio vivo, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terra motu, & via, via. Custodum conversio.* quae fiebant, *timuerunt valde: quis ille Centurio fuerit, illud apud Matthaeum, vel aliam Evangelistam non legitur. Papista statuerunt, eum nomine Longinum appellatum fuisse.* Traditionis fundamentum ipsis est, quod in *actis Martyrii apud Metaphrasten* hic Centurio Longinus vocatur, *ἀπὸ τῆς λόγχης*, vel à lancea dubio procul nomine deducto. Sed nec aliquis Evangelistarum, nec Apostolorum, ejus rei mentionem fecit: neque veteres scriptores illud certo quodam indicio affirmant. Hoc nobis sufficiat, quod hic Centurio videns magna mortis miracula, *timorē non mortis sed vitae non impudentia vel ferocia, sed paenitentia* conceperit, & ex magnitudine rerum gestarum conversus sit, ita quidem, ut non tantum ipse, sed etiam in sociis talem poenitentiae timorem perceperit,

12. (2) *Custodum confessio, quia dixerunt, Vere hic Filius Dei est: Custodum confessio.*
nam milites propter malitiam obduratam & audaciam inveteratam non facile commoventur, sed quando divina potentia suam exserit virtutem, humana sapienter audacia cedere cogitur: hinc Centurio non tantum corde commovetur, sed etiam ore confitetur, quod hic verè Dei Filius fuerit, & suo exemplo reliquos etiam movet custodes, ut similem confessionem edant, quod hic verè Dei Filius extiterit, Sic illi, qui fuerant antea *crucifixores*, nunc sunt Christi *Confesores*, quod certe non minimum miraculorum mortis Christi fuisse dicitur, quia mortuus corporaliter alios spiritualiter vivificare potuit.

13. (3) *Mulierum constans permansio v. 55.* *Mulierum constans permansio*
quia erant ibi mulieres multae à longe spectantes, quae secuta permansio

DISSERTATIONES PASSIONALES.

cuta erant Jesum à Galilea, ministrantes ei. v. 5. 6. inter eas erat Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Jose mater, & mater filiorum Zebedaei: nam nec illud miraculo carebat, quod Petrus θεγοσωμαχος Christum abnegaverit, & omnis discipulorum cæcus aufugerit, nullus etiam amicorum fere constans in his periculis permanferit, solæ tamen mulieres in morte Christo constanter adhæserant: & post mortem adfuerunt, & sepulturæ ceremoniis non defuerunt. Sic gratia Dei magis in infirmioribus, quam in robustis efficax esse consuevit, ne viribus nostris quicquam, sed omnia Deo tribuamus.

Note Didactica.

V. & N. T.

1. *Vetus & Novum Testamentum unum esse Templum, unum sanctuarium, unum habere Christum, vel Dominum, vel tantum esse distinctum; cum vetus fuerit obvelatum, novum sit revelatum.*

Vetus abrogatum. Christus promus condus.

2. *Vetus Testamentum in Christi morte fuisse totaliter abrogatum, quia velum penitus ruptum à summo usq; ad imum.*

3. *Christum optimum esse divinorum consiliorum, arcæ, arcanorum vel mysteriorum, & divinorum beneficiorum promum condum, cum ipse morte sua velum omnium typorum, umbrarum & involucrorum sustulerit.*

Mors Christi nostra vita.

4. *Mortem Christi fuisse gloriosam, cum tot miraculis à priori, à formali & à posteriori divinitus illustrata sit.*

5. *Christi mortem nostram esse vitam, cum per Christi mortem sepulchra mortuorum aperiantur, mortui de sepulchris egrediantur, & coram Deo & hominibus manifestentur.*

Naturalis. Spiritualis.

6. *Mors Christi causa nostra vita naturalis, ut nimirum eam retinere queamus, cum alias propter peccata, secundum senatus divini consultum Gen. II. 17. statim homines post peccatum æternæ mortis candidati fuissent, & æternæ mortis supplicio perisissent: causa nostra vita spiritualis, quod etiam ex ipsis hostibus Christi comparet: nam quam primū Christus mortuus,*

Cælestis.

Centurio gentilis cum sociis militibus adest vivus, & quidem per Christi mortē vivificatus: causa vita cælestis & æternalis, quia mors ipsius etiam mortem æternam destruxit atq; nostri bono sustulit.



Umg. VI-61

ULB Halle

3


004 113 25X



IA 70L

Umg. VI 61





8 7 6 5 4 3 2 1

19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Farbkarte #13

Auspice DEO,
BIGAM DISSERTATIONUM PASSIONALIUM,
DE
PUGNA, vel PASSIONE
CHRISTI SPIRITUALI,
UT ET
DE
CAPTIVITATE CHRISTI
PASSIONALI,
In longè Incluta ad ALBIM,
SUB PRÆSIDIO
RECTORIS MAGNIFICI,
VIRI
DOMINI SUMME REVERENDI, AMPLISSIMÆQUE
EXCELLENTIÆ
DOMINI JOH. DEUTSCHMANNI,
S.S. Th. D. ejusdemq; P.P. multò celeberrimi,
Alumn. Elect. Ephori gravissimi &c:
Domini, Fautoris, Evergetæ atq; Præceptoris, vitâ comite intemeratè
devenèrandi,
publicæ disquisitioni modestè submittit
JEREMIAS PILARICK,
Tepliciò - Hungarus,
Ad diem III. April. A. O. R. M. DC. LXXVII.
H. L. Q. C.

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typ.
Excud. SIMON LIBERHIRT.

2870

D. Michae

